



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De Testibus singularibus, eorúmque probatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tandum peccatum, & condiciones requisitas in *c. Licet 47. h. t.* habeant, ac deponant ab eadem persona, & quidem eodem loco ac tempore &c. audivisse se; in quibus casibus, si non in omnibus plena fides ex talium testium depositione habeatur, potest tamen infamato, & contra quem taliter depositum est, indici purgatio canonica, uti patet ex *cit. c. Tam Literis &c.*

§. II.

De Testibus singularibus; eorumque probatione.

Contestes in hac materia dicuntur illi, qui unum idemque factum testantur, singulares verò testes dicuntur illi, qui de diversis factis testantur; & hæc testium singularitas alia est adversativa, si dicta eorum testimonia, vel depositiones inter se repugnent. Alia est diversificativa, si testes deponant de factis non contrariis sibi invicem, sed diversis & nihil se mutuo juvantibus, prout factum est in casu *Capituli Cùm tamen 16. h. t.* Alia denique testium singularitas est cumulativa, sive admniculata, si deponant scilicet testes de actibus diversis, se mutuo tamen adjuvantibus, quia depositiones talium testium diversæ quidem sunt, ad eundem tamen finem tendunt, ut si de possessione agri sit quæstio, & testetur unus vidisse se Titium seminasse agrum talem, alius verò testetur vidisse se, quòd Titius hunc ipsum agrum mensus fuerit. His notatis.

Certum est primò, testes ut plenam fidem faciant, non debere esse singulares, contraria, vel diversa prorsus testificantes, sed debere esse contestes de uno eodemque facto in specie testificantes,

prout habetur, ex *c. Bona 23. de elect. ex c. Cùm dilectus 32. eodem. junctâ Glor. rã. V. Probatio. & ex cit. c. Tam Literis junctâ Glor. rã. V. soli.* Ita ut non tantum in substantia delicti convenire debent testes, sed in tempore etiam & loco, ut plenam ad condemnandum reum puniendum pœnâ ordinariâ fidem faciant. Possunt tamen magnam contra Reum præsumptionem facere, si de diversis actibus diverso tempore factis deponant; & si deponant de diversis actibus, murò tamen se adjuvantibus, possunt non tantum in casibus plenè nonnunquam probare, & etiam in causis criminalibus, ut loquitur de actu suâ naturâ successivâ, & iterabili, & hic testatur se hodie vidisse in tali loco v. g. Titium, alter testatur altero se die in eodem loco vidisse Titium &c. vel si testatur hic, ex oculis suo mo turbatum exire se vidisse Titium, alter testetur vidisse se fugientem Titium. Tertius testetur de oculis & longa inimicitia.

§. III.

An, & quando probent testes inter se contrarij?

Nihil probant, si duo tantum probentur, & hi sibi invicem contrariantur in suis depositionibus (cùm utriusque pro utraque parte contradiccionis habeatur testis tantum) nisi alter testis in tantum prævaleret alteri dignitate, & vitæ bonitate, ut Juramentum ipsi offerri posset à Judice in supplementum probationis, cùm sapè non tam ad materiam, quàm ad qualitatem testium attendendum sit, & hinc si plures testes probentur